



ceptum erat, laqueo gulam fregere. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario, eodem modo supplicium suntum. Licebat vero consuli, vi huius senatus consulti, nulla ad senatum relatione facta, statim in noxios ciues animaduertere. Hinc Cicero Cat. I. c. 1. ad montem, inquit, te, Catilina, duci, iussu consulis, iampridem oportebat. Et, commemoratis priscae Romanorum seueritatis exemplis, c. 2. at nos, inquit, vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusmodi senatus consultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatus consulto confestim interfectum te esse, Catilina, conuenit. Et, paucis interiectis, si te iam, inquit, Catilina, comprehendi, si interfici iussero: credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iampridem factum esse oportuit, certa de causa, nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficiam te, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inueniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur.

§. II.

Senatus consulto sub Tiberio condito poena a senatu ad mortem damnatorum in diem decimum differenda.

Neque aliter res se habuit, cum, oppressa reipublicae libertate, sub Tiberio comitia e campo in curiam fuissent translata. Nam, vt antea populus, sic nunc senatus iudicauit,